





1765, 12.

№: 4157.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
SPONSO DOMINO DOTIS
A SPONSA SOLVTAE

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXI. MART. ANNO CIOIOCCCLXV.
PVBLICE DEFENDET
FRIDERICVS AVGVSTVS MATTHAEI
DRESDENSIS.

L I P S I A E
EK OFFICINA LANGENHEMIA.



SPONTANEA

CONTINENS

CAPUT IVRIS CONTROVERSVM

DE

SPONSO DOMINO DOTIS

A SPONSA SOLVTA

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR PVBLCI ORDINIS IVR NAT ET GENL
ET SOCIETATIS HENR. BREVNING

IN AVDTORIO PETRIANO

DIE XXI MART ANNO MDCCCCLXX

PVBLCI DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS MATTHAEI

DESSAVENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMII



DE
SPONSO DOMINO DOTIS

A SPONSA SOLVTAE.

§. I.

Multum abest, quin omnium antiquarum gentium consensus deprehendatur in dotibus mulierum, quarum potius quaedam, vt Graeci quondam legibus adeo dotatas ducere virgines prohibuerunt, quo feliciora essent matrimonia, si virtute ac animorum consensione contraherentur, nec si amor mutuus nummis conciliaretur; quaedam dotes potius ignorarunt, vti maiores nostri germani. In alia omnia abierunt Romani, qui ne matrimonium quidem prioribus temporibus perfectum legitimumque habuere, nisi interuenerit dos. Quid amplius, suis adeo legibus dotis scripsisse videntur legitimam quantitatem, si ea vera sunt, quae de hac lege coniecit *Abr. WIELING Lect. Iur. Civ. L. II. c. 23. p. 206.* Largior quidem non admodum stricte hanc dotis quantitatem obseruasse Romanos, quod variis artibus primum in fraudem huius legis agerent. Nam cum *Voconius Saxa*, qui legem rogauerat, verbis vsus esset in sua rogatione: *qui census esset*, quo *ciues Romanos* compellabat, vt recte monuit *BACH Histor. Iur. Rom. p. 154. ii.*, qui in fraudem legis acturi erant, sibi met persuadebant, se lege illa non posse teneri, si sua bona haud deferrent in censum, quod eo tempore census amplius seuerere non agebatur. Non ergo censebantur, et tunc, quas virgines heredes scribebant, quantumque volebant legabant, neque quidquam vel populus romanus vlla rogatione sanxisset contra hanc fraudem, nec Praetorem edicto



edicto prohibuisse vel improbasse constat. Videtur ergo haec fraus legi facta consensu tacito comprobata. Neque aliam causam habuere ipsa fideicommissa, quam ut filiabus plus relinquere parentes possent, quam per legem Voconiam liceret.

§. II.

Non vero meam faciam litem, quae diuersa ex diuersorum temporum ratione dotis vera quantitas fuerit, et an Voconia lex parentum liberalitatem in danda, dicenda, promittendae filiae dote coereuerit, atque eidem limites scripserit. Dicamus saltem paucis, quid videatur, cum doctiores atque purioris Iurisprudentiae grauiores Viri, quorum immortalem gloriam, quam vix assecuturi, veneramur, satis de his rebus dixerint, scripserintue. Parcissimam dotis quantitatem in antiquis reipublicae temporibus ob diuitiarum exiguitatem fuisse nemo dubitat. Auctis Romanorum opibus, variis suppressis, et quidni etiam interdum expilatis prouinciis, patres ampliores dotes dixisse, dedisse, promississe, nihil dubii habet. Quae enim impedimento fuisset lex paternae liberalitati, qui bene elocatum suam cupiebat natam? Et quis dubitat, quum docent EXCERPT. PEIRESC. ex POLYB. p. 155. Africanum Maiorem utriusque suae filiae dotis nomine *quingenta talenta* promississe. Neque mihi videtur postea Voconia lex omnem liberalitatem in dote ampliori constituenda coercuisse, sed eam tantum, quae per vltimam voluntatem peragebatur, et vt constaret, quae perfecto iure a patre exigere possent dotis nomine, si ex paterno officio iureque patriae potestatis elocanda esset filia, nec dos a patre promissa, sed potius Praetoris imperio ad eam soluendam cogendus. Neque ad speciem, qua pater filiae suae sponso dotem liberalius promittebat, Voconiam legem pertinuisse, conicio ex CICERON. *Lib. I. in Verrem c. 42.* verbis: *Quibuscum VIVI BONA NOSTRA PARTIMVR, iis Praetor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit.*

§. III.

Augusti seculo non admodum stricte amplius obseruatam legem Voconiam, quoad dotem vel inde conicio, quod fideicommissorum paulatim obligatio civilis facta, vel quod matrimo-



trimoniorum rationes ad quas dotes pertinebant, admodum fauorabiles habuit Augustus, Lege Iulia primum de maritandis ordinibus, post Lege Papia Poppaea. Vix enim credamus, Imperatorem passum fuisse, vt ea minus probarentur, quae ad matrimonia contrahenda ciues allicere possent, et quis probet, inter Romanos neminem fuisse, qui non dotem potius, quam virginem in matrimonium cepisset. Non dicam abrogatam Voconiam, sed taciturnitate effectum, vt impune contra legem ageretur, quo facilius finem obtineret Augustus, quem habuerat in LL. Iulia et Papia Poppaea ferendis. Subsequentibus vero temporibus legitimam dotis quantitatem obseruatam amplius non fuisse, vel ex neglectu census iudicabitur, qui postea adeo in desuetudinem abiit, cum *censi*, ex vsuali interpretatione, si ita dicere fas erit, tantum tenerentur lege Voconia, vel contraria passim exempla ostendunt. Eo referenda quoque dos decies centenorum millium HS, cuius mentio vel apud MARTIAL. *Epigr. XI. 24.* vel apud PAPINI-ANVM in L. 6. §. 1. π. *de vsur. et fruct.* Videndus TURNEBY'S *Aduers. L. XVIII. c. 30.* Et ita quoque ille ipse PAPINI-ANVS in L. 69. §. 5. π. *de lur. dot. pro modo facultatum et dignitate natalium dotem a tutore constitui posse* adfirmat, et CELSVS in L. 60. *eod. marii dignitatem* adhuc adiecit in quantitate dotis determinanda obseruandam. Neque memini postea *Iure Iustiniano* doti quantitatem scriptam esse, nisi coniciamus, patri non licuisse dote dare, cuius quantitate reliquorum liberorum legitima minueretur.

§. IV.

Caeterum cum pleraeque gentes antiquiores dotium vsum ignorarent, quae Romanos ad eas inueniendas excitare poterant, erudite satis docuit PERIZONIUS in *Diss. ad L. Voconiam in Edit. Dauentr. p. 113. sqq.* et quaedam WIELING *Lect. Iur. Civ. c. 1.* Non tamen nego, minime me ea probare posse, quae scripsit HEINECCIUS *Antiqu. Rom. L. II. VIII. §. 3. n. a.* *Dotem illam Romanarum mulierum veluti complementum pretii fuisse, quo mulieres sibi viros coemebant.* Et quae illa fuit coemptionis viri a muliere? Quis huius coemptionis effectus? et quomodo



haec cum iis conspirent, quae coniecit WIELING *c. 7. praeter vestem et vestis factum nihil fere virgines ad viros attulisse*, ex quo postea aucta luxuria, vel magis auctis diuitiis enata dos videtur. Valde improbabile est, viros suos sibi dote coemisse coniuges, nisi improprio plane sensu, et a Ictorum terminologia abhorrente vocem illam coemere accipiamus. Sic non legi apud TACITVM *de Morib. Germ. cap. XVIII.* vxores coemtas a Viris, sed solum testatur, *dotem non vxorem marito, sed vxori marito obtulisse.* Pater improprie Tacitum dotem nominasse, quod munus postea vocat: *intersunt*, inquit, *parentes et propinqui ac munera probant.* Quae cum ita sint, potius putarem, dotem fuisse, qua sibi societatis familiae haereditatisque iura et maxime sacrorum domesticorum conciliaret vxor Romana. Cum enim a primis connubiorum Romanorum temporibus filiarum familiae loco haberentur a suis maritis, vt inde in partem virilem ab intestato cum suis succederent, societatemque videbatur constituere familia, et quo participes fierent huius communionis maxime sacrorum priuatorum, quae ob conjunctionem cum bonis, primam successionis originem intestatae, vt pecul. *Diff. de Orig. Success. intest.* probauimus, constituebat, in communia illa, quid conferre debebant bona sacris alligata. Magis ergo sibi iura familiae mariti tam sacrorum quam bonorum dote coemit vxor romana, non ipsum virum; sicuti nec vera, nec simulata coemptio inter Germanos vnquam obtinuit, quippe vxores in hac Gente nunquam imperio mariti subiectae, sed sociae sanum laborum periculorumque factae. Erat ergo dos illa, quam Tacitus nominat, nil nisi liberalitas, qua sponsus futurus et amorem sponsae, et amicitiam atque consensum parentum propinquorumque illius sibi conciliaret, quo omnes in eam contrahendam inter sponsum sponsamque societatem consentirent.

§. V.

Sed iam fatis de dotis origine inter Romanos, nec quidquam addo de Iure Patrio, quo et dotes Iure ciuitatis germanicae donatae sunt. Ad dotium iura, quantum ad nostrum themam et specialissimum, et fere paradoxon pertinet, pergo. Ex his
haec
A
quae



quae supra dedimus facile ratio reddi poterit, cur Romani vix connubium contrahi posse putauerint, cum virgine indotata. At vero, a quo tempore illa familiae iura in connubio amplius non acquirebantur, cum nec farre, nec aere et libra, nec usu in manum potestatemque mariti venirent coniuges, non amplius videntur tam stricte Romani veteri iuri inhaesisse, quo indotatas in concubinato non in matrimonio habere videbantur. Sic iam apud LABEONEM in *L. 6. n. de dote prael.* mentio fit vxoris, quae *dotem nullam* habebat. Nihilominus tamen semper dotium fauorabilis mansit causa. Testatur PAVLYS in *L. 2. n. de Iur. dot.* *Reipublicae, inquit, interest, mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possunt.* Verba propter quas, non videntur indicare causam, cur nubant viro, sed interpretem aduocabimus POMPONIVM in *L. 1. n. solut. matr.* qui scribit: *Dotiam causa semper et vbique praecipua est, nam et publicae interest, dotes mulieribus conseruari cum dotatas esse feminas ad SVbolem procreandam replendamque liberis ciuitatem maxime sit necessarium.* Verba Pauli *Reipublicae interest*, et Pomponii *publice interest*, sine dubio et ad L. Papiam Poppaeam eiusque causam respiciunt, et ad eam, quam supra excitauimus Romanorum opinionem, qua legitimi coniugii symbolum *dotem* reputabant. Quo magis ergo celebratissima illa lex connubia Romanis commendabat, eo magis solliciti quoque debebant esse de dotibus coniugum, sine quibus nubere posse non videbantur.

§. VI.

At iam dos amplius non erat pecunia, qua familiae et sacra et profana iura sibi comparabantur ab vxore: magis ergo aliam substituere Icti interpretatione sua causam dotium. Cum enim maritus obligatus esset ad alendam suam familiam, vxorque ad familiam accederet, quae sua natura membrum illius non esset, eaque iuribus familiae iam frueretur, dotis emolumenta oneribus matrimonii ferendis destinarunt, et sic ad onera ferenda dotem dari affirmarunt. Testis est PAVLYS in *L. 7. pr. ff. de Iur. dot.* *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, aequitas suggerit: cum enim ipse onera matrimonii subeat, aequum*



quum est, eum etiam fructus percipere. IDEMQUE in L. 56. §. 6. eod. ait: *Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonii.* Amplius et DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AA. in L. 20. C. eod. ad Tiberii preces rescripserunt: *Pro oneribus matrimonii mariti lucro fructus totius dotis esse; quod ipse cepit caet. manifestissimi Iuris est.* Ex hac vero causa retinuisse quoque videntur necessitatem inferendae dotis, atque Patris officium in elocanda filia, quod possit nubendi habere conditionem, quod iam antea diximus.

§. VII.

Cum ergo media sub Imperatoribus Iurisprudencia dotes tantum darentur ad onera matrimonii ferenda, recte quoque canonem antiquioris iuris, quo dos non poterat esse sine matrimonio, retinuerunt. Inde VLPPIANVS in L. 3. π. de *Iur. dot.* tanquam regulam decidendi ponit, in quaestione hac: an in matrimonio nullo, seu quod *confissere, non potest*, ut ipse ait, si forsan soluta sit pecunia titulo dotis, dos esse possit, et recte negat, addita ratione, *neque enim dos sine matrimonio esse potest.* Hinc facillime in regula decidebant quaestionem: An sponsus dotem acceperit, ita, ut illius dominus fiat, quam a sponsa sua numeratam acceperat, antequam matrimonium ipsum consummaretur. Nunquam sane fieri poterat, ut quae sponso soluerentur, dotis nomine in spem futuri contrahendi matrimonii, dotis iura nanciscerentur: *dos enim sine matrimonio esse non potest*, neque inter sponsum sponsamque matrimonium existit, sed solum speratur.

§. VIII.

Dubium itaque non est, sponsam, quam pecuniam dotis nomine dederat, non secutis nuptiis posse condicere ob causam non secutam. Huic enim actioni locum esse debere, patet ex verbis VLPPIANI in L. 10. π. de *Sponsal.* Sunt autem haec: *ipsa enim filia nubendo efficiet dotem esse, conditionemque extinguet, quae causa non secuta nasci poterit.* Neque sponso aliquod fructus ex ea pecunia capiendi ius erit, neque sponsae iis fruatur beneficiis, quibus fruuntur alias coniuges, quaeque leges doti scripserunt. Inferunt inde, si quos fructus sponso ex ea re, quae in dotem data fuerat ante matrimonium, ceperat, non acqui-

acquirere, tanquam dotis fructus, imo nec tanquam fructus considerandos esse, sed potius tanquam accessionem. Ita intelligendus est IULIANVS in L. 47. π. de Iur. dot. *Si seruo in dotem ante nuptias dato donatum aliquid vel legatum ante nuptias fuisset, ampliatur dos, sicut ex fructibus fundi, qui ante nuptias traditus est.* Et ita PAVLVS in L. 6. π. solut. matr. de fundo indicat: *Nam si ante nuptias, inquit, traditus sit, scilicet fundus, et fructus inde percepti: hi restituendi sunt, quandoque diuortio facto quasi dotis facti, i. e. quasi ampliassent dotem, seu accessissent doti, et IDEM in L. 7. π. de Iur. dot. explicat per verba: Si ante nuptias percepti fuerint in dotem conuertuntur.*

§. IX.

Cerrissimum itaque est, sponsum si dotem praenumeratam seu ante matrimonium acceperit, dotem non accepisse sicque dominum dotis factum non esse. Equidem hic litem meam non faciam, an maritus vere dotis dominus efficiatur. Sunt, qui hoc dominium nil nisi vsumfructum arbitrantur, quem maritus ex re dotali capit, quippe rei ipsius periculum adhuc habet vxor, ob ea, quae VLPIANVS in L. 10. pr. π. de Iur. dot. suadet marito, ne scilicet aestimatas res in dotem accipiat: sine dubio loquitur de aestimatione venditionis causa facta. Sed ex hoc, quod vxoris sit periculum respectu repetendae dotis, vt si res inaeestimata data casu perierit, repeti non possit, marito dominium non negarem. Nec obstat, quod dos tanquam dicatur esse in bonis mariti. Ita sane PAVLVS in L. 7. π. §. 3. de Iur. dot. *Si res in dote dentur: puto in bonis mariti fieri, ita TRYPHONINVS in L. 75. π. eod. Quamuis in bonis mariti dos sit.* Hic enim ipse TRYPHONINVS litem c. l. conficit, cum expresse scribat: *quamuis apud maritum dominium sit.* Nec quisquam facile clarius scribere potuisset ipso IUSTINIANO in pr. l. quibus alienar. lic. vel non. *Accidit, aliquando, vt qui dominus sit, alienare non possit: nam dotale praedium maritus inuita muliere per Legem Iuliam prohibetur alienare: quamuis ipse sit dotis causa ei datum, quod idem est, quod antea dixerat: qui illum sit.* Sed abstineo: decantata sane est controuersia.

§. X.

Satis ergo sponsum ante nuptias solutae dotis dominum effici non posse, quod dos non cogitatur sine matrimonio. At vero quamuis in regula hoc verum sit, sponsum tamen dominium acquirere posse in ea re dotali per exceptionem, vix dubitandum videtur. Nec abhor-



ret ea opinio ab ipsis legibus. Quamvis enim non acquirat, tanquam dotem ob non secutum matrimonium, tamen videndum est, an forsan *vsucapione* possit acquiri a sponso dominium. Cum enim in sponso sit possessio, ita enim fingebamur, solutam iam esse dotem spe matrimonii, si ea continuetur, et titulus pro dote iustus sit, elapso temporis spatio sponsum dominum effici, forsan facillime consequi poterit. Sed nec hoc semper bene: distinctius quaestio illa tractanda erit.

§. XI.

Diximus posse sponsum rei in dotem sibi datae ante nuptias *vsucapione* dominium acquirere. Hoc verum est, sed aliter sentiendum, si res aestimata in dotem data sit, aliter si nulla interueniente aestimatione. De utroque themate iam dicendum, quid iura doceant? Primum de re aestimato data. CHESIUS in *Interpr. Iur. L. II. c. XXVI.* hanc quidem quaestionem tractat, sed nec satis distincte rem exposuisse videtur. Cum enim aestimatio possit duplici animi intentione fieri, *vel* ut periculum in alterum statim transeat, quod dicunt *venditionis causa* aestimationem factam, quam habet VLPPIANVS in *L. 10. §. 4. π. de Iur. dot. vel* ut saltem augmenti aut deminutionis ratio haberi possit, quale quid forsan in animo fuit SCAEVOLAE in *L. 50. π. solut. matrim.* quam aestimationem *taxationis causa* factam in foro dicunt, de utroque themate iam dicendum.

§. XII.

Quid itaque, si sponsum aestimatam ceperit, sed taxationis tantum causa dotem, an *vsucapere* possit? Distinguendum amplius videtur, an pro dote, an pro emto, an pro suo *vsucapere* velit. Pro dote sponsum rem dotalem nunquam *vsucapiet*, quia dos non est sine matrimonio. Id recte in genere affirmat VLPPIANVS in *L. 1. §. 2. π. pro dote.* Ante nuptias autem non pro dote *vsucapit*. Pro suo et pro emto an *vsucapiat*, videndum. Sed rem mox conficiemus, ubi de re inaeestimato data dicemus, idque ob eam causam, quia perinde res reddenda semper in dote aestimato data taxationis causa, ac si nulla aestimatio facta, nisi sit res, quae pondere, numero et mensura continetur, cuius periculum semper ad maritum transit. Saltem pro emto non *vsucapiet*, quia in aestimatione taxationis causa facta venditio facta fuisse non videtur.

§. XIII.



§. XIII.

At si aestimata venditionis causa data sponso distinguendum iterum: utrum simpliciter facta aestimatio, an vero ea demum rata sit, si matrimonium sequatur, quam distinctionem expresse ponit PAVLVS in L. 17. §. 1. π. de iur. dot. Si res aestimata venditionis causa a sponsa data ante nuptias, simpliciter non pro dote quidem vsucapiet ob VLPIANI c. l. auctoritatem, sed nec pro emto, nec pro suo vsucapere poterit, ita sane expresse visum est PAVLO in L. 2. π. pro dote. Ait: *Si aestimata res ante nuptias tradita sit: nec pro emtore, nec pro suo ante nuptias vsucapiet.* Recte quidem taxat CHESIVS c. l. rationem huius sententiae, quam CUIACIVS ad cit. L. 2. pro dote attulit, quod aestimatio illa conditionatam contineret venditionem, videlicet *si matrimonium sequatur*, quod ea ad titulum pro emto, non vero ad titulum pro suo quadraret. Sed non omnino placet ratio Chesii, qui putat ideo non vsucapi posse rem aestimatam, quia traditio non ex ea causa facta esset, ex qua dominium transferatur, ut sic vsucapiendi conditio in sponsum non possit transferri. Nam si POMPONIVM audimus in L. 3. π. pro suo, qui scribit: *hominem, quem ex stipulatione te mihi debere falso existimabas, tradidisti mihi, si scissem, nihil mihi debere, vsu eum non capiam: quia si nescio, verius est, ut vsucapiam.* Coniicerem, non ad causam tradendi solum, sed ad opinionem ipsius esse respiciendum in vsucapione pro suo. Nam addit: *Quia ipsa traditio ex causa, quam veram existimo, sufficit ad efficiendum, ut id, quod mihi traditum est, pro meo possideam.* Puto ergo, cum aestimatam acceperit rem, pro emto non vsucapiet ob Cuiacii et Chesii causas. Nec pro suo vnquam vsucapiet, quod nunquam error causae in sponso esse potest, cum venditionis, quasi titulo accipit, qui aestimato accipit.

§. XIV.

Contra si res aestimato data sit sponso ea adiecta conditione, ut aestimatio valeat non prius, quam contracto matrimonio, nemo erit, qui dubitet interim non aestimato datam esse. Quae si ita sint, recte interim putet se pro dote possidere, licet aestimatio nondum habeat effectum, et iam non dubito, hanc speciem ab ea, qua inaeestimata res datur non differre, licet aestimatio interuenerit, cui tamen conditio adscripta, ante cuius impletionem aestimatio quidem effectum habere nequit, traditio tamen iustam opinionem producere potest.




§. XV.

Videamus ergo hoc thema, si vel plane non aestimata data, vel taxationis causa aestimatio tantum accesserit. Decidenda haec quaestio ex VLP.IANO cit. L. 1. π . pro dote. Ante nuptias autem non pro dote usucapit, sed pro suo, scilicet si inaeestimata data sit res. Recte mihi causam posuisse videtur CHESIUS cit. loc. scribens: Ratio, cur sponsus ante nuptias res inaeestimatas pro suo possit usucapere ea est, quia licet illae dentur ob causam futuram, tamen interim dantur, ut contractio matrimonio in dotem conuertantur, et quia pure dantur intelligitur pure statim dominium translatum. Fiet itaque sponsus dotis seu rerum dotalium dominus, non quidem, ut ita dominium habeat, sicut maritus in dote, dos enim non est, sed tanquam in sua re, absque dotis qualitate, in quam dein commutatur, si matrimonium sequatur. Quare cum dominus factus, a sponsa si postea matrimonium secutum non sit conditione peti poterit, neque quam forsan dotalium rem, perfecta usucapione in alium iusto titulo transtulit, sponsa vindicabit, quia a domino res alienata videbatur, sed condicet tantum.

§. XVI.

Quid de fori ratione sentiendum, adhuc superest. Essent quidem varia, quae adhuc vel ad illustrandam hanc causam facerent, vel quae concludi exinde, atque consequi possent. Sed ne speciminis iustas plagulas excedamus, haec omnia studio omittenda videntur. Distingendum putos, an de usucapione domini tantum loquatur, de qua re haecenus disseruimus, an vero de extinguendo iure sponsae in reperenda re dotali. Posteriori casu nunquam procedat usucapio ob deficientem forsan bonam fidem sponsi. Quo enim modo is in bona fide erit, qui sciat, rem sibi datam esse in dotem, quae nunquam data esse aliter potest, quam, ut dein matrimonium contrahat. An vero ea, quae diximus de acquisitione domini per usucapionem applicari possint in foro, dubitandum mihi non videtur. Quamquam enim forum adhuc cantilena sua delectetur iuris Canonici, quidquid non est ex fide, id est peccatum, et quis sine crimine exciraret Pragmaticos, ut ab ea infania diu, et a maioribus obseruata, et hereditario quasi iure consecuta recedant, tamen hanc ipsam regulam in hac nostra specie obesse non posse, facile cuius videt, quia hic non de defraudanda sponsa agitur, sed de acquirenda re a sponso, quam ipsa sponsa dederat, cuiusque dominium in euentum transtulisse videbatur. Saltem cum dotes dotumque causae ex Romano iure receptae, exque eo ipso iure iudicari debeant, nulla esse videtur ratio, nisi forsan provincialis aliqua lex contrarium statuatur, contra quam iam non disputo. Cur ergo in proposita thesi aliter indicemus, si in iudicium deducatur. At alit interdum forum obseruantias, et contrarias obseruantias, quae, quousque legi non conueniant, inter crimina referenda, cum his nobis nihil negotii.

T A N T V M.



ULB Halle
005 423 643

3



SB

7 felder







1765, 12.

No. 437.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
SPONSO DOMINO DOTIS
A SPONSA SOLVTAE

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG. SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXI. MART. ANNO MDCCCLXV.
PVBLICE DEFENDET
FRIDERICVS AVGVSTVS MATTHAEI
DRESDENSIS.

L I P S I A E
EK OFFICINA LANGENHEMIA.